

51. *An ea possit etiam laico committi?* — Addit Zoësius, d. n. 4. et Engel, n. 5. quod investitura realis, si nullam aliam cæremoniam ecclesiasticam habeat annexam (puta, quia jam præcessit investitura verbalis per traditionem Birreti, etc.) sed solummodo concernat actualem introductionem in locum beneficii una cum traditione clavium, et jurium, librorumque attinentium, etiam laico committi possit: nam talis investitura est meri facti.

52. *Institutus in beneficio quoad titulum, non potest propria auctoritate possessionem ejus apprehendere, licet vacua sit.* — Queritur V. Utrum institutus quoad titulum in beneficio, possit possessionem ejus propria auctoritate apprehendere? Resp. I. Institutus in beneficio quoad titulum, non potest propria auctoritate possessionem ipsius apprehendere, etiamsi vacua fuerit. Ita Covarruvias, *Var. resolut.* lib. III. cap. xvi. n. 7. et 8. ubi post relatas aliorum doctorum sententias, et distinctos diversos casus, tandem vers. *Quod si juris*, etc. hanc opinionem, veluti justiore, recepit; et paulo post subjungit, auditores Rotæ passim observare, et pronuntiare quod nemini, etiam canonicum titulum habenti, liceat possessionem propria auctoritate occupare. Rebutus, in *Praxi benefic.* tit. de *Missione possession.* n. 2. 4. et 5. asserens inter alia: « Si sapias ad iste evitandum, non accipias possessionem propria auctoritate, sed facias te induci per alium juxta collationis formam. » Engel, h. t. n. 4. et alii. Ratio est, quia sacri canones investituram, seu institutionem corporalem in beneficiis, indistincte requirunt, hoc ipso, quod eam specialiter attribuant archidiacono, c. *Ad hæc.* 7. de *Offic. archidiacon.* Frustra enim talis institutio corporalis a jure fuisset adinventum, si cuivis liceret propria auctoritate possessionem beneficii sibi collati apprehendere. Idque non immerito statutum fuit: tum ne quis accipiat sibi honorem in Ecclesia Dei, nisi vocatus a Deo sicut Aaron, can. in scripturis. 8. q. 1; tum ut pastores animarum non intrent in ovile Christi, nisi per ostium, atque aperiente ostiario etiam per institutionem corporalem, *Joan.* x. 1. et can. *Tres personas.* 23. q. 4. cum similibus.

53. *Bene tamen accedente consensu superioris. Investitus verbaliter de beneficio potest ejus possessionem apprehendere propria auctoritate.* — Additur tamen in data conclusione, « non potest propria auctoritate. » Nam quod acce-

dente consensu, seu licentia legitimi Superioris, valentis tradere possessionem corporalem possit quis ingredi possessionem vacuum beneficii, eamque capere nullo alio introducente, passim fatentur doctores; eo quod jam interveniat auctoritas superioris. Unde, quod de beneficio absente investitus verbaliter per traditionem annuli, aut Birreti, vel hujusmodi, possit apprehendere possessionem illius propria auctoritate; tenent Abbas c. *Auctoritate.* n. 9. h. t.; Covarruvias cit. cap. xvi. n. 7. vers. *Primus et enim.*; Rebuffus, in *Praxi beneficior.* tit. de *Missione in possessionem.* n. 6; Layman, in c. *Nosti.* n. 4. de *Election.*; Engel, h. t. n. 5; Jul. Clarus, d. § *Feudum.* quæst. 26. n. 1. et Jason. l. *Si ex stipulatione.* n. 5. ff. de *Acquirend. possess.* et alii. Rationem dant, quia per ejusmodi investituram verbalem, una cum traditione v. g. Birreti factam, videtur superior, quantum in eo est, illud beneficium in investitum transferre. Et quamvis per hoc non transferatur possessio corporalis respectu beneficii absentis, sed ad illius apprehensionem requiratur ipsum corpus beneficii, aut saltem, quod istud sit in conspectu tradentis annulum, seu Birretum, juxta dicta superioris lib. II. tit. XII. de *Causa possessionis.* § 4. n. 113. 117. 119. et seqq. nihilominus existimant præallegati auctores, tacitam fuisse datam a superiore, accipiendi vacuum possessionem ejus propria auctoritate, quidquid contradicat Dynus in reg. 1. *Beneficium.* n. 17. de reg. jur. in 6. cum nonnullis aliis.

54. *Nihil specialis cujuspiam Ecclesiæ consuetudo, vel statutum aliud exigat.* — Istud tamen limitandum est cum Laymano, c. *Nosti.* n. 4. vers. *Dico.* 2. de *Election.* Si specialis cujuspiam Ecclesiæ consuetudo, vel statutum vigeat, quod verbaliter institutus, provisus, aut confirmatus, possessionem, quamvis vacantem, ipsemet capere non possit; sed solemniter et corporaliter introduci debeat in ejus possessionem. Tunc enim istud erit observandum: adeo, ut priusquam ea solemnitas peracta fuerit, non censeatur acquisita possessio. Abbas, c. *Cum super.* n. 16. et 17. de *Causa possessionis.* et Innocentius, ibid. init. et rursus Abbas, c. *Transmissam.* n. 6. vers. *Conclude ergo.* de *Election.* allegans doctores communiter; idque probans ex can. *In his rebus.* dist. 11.

55. *Possessionem vacuum beneficii sibi collati propria auctoritate apprehendens, potest puniri, pœna arbitraria.* — Resp. II. Etsi pos-

sessionem vacuum beneficii sibi collati propria auctoritate apprehendens, possit per superiorem puniri, pœna saltem arbitraria: non tamen idcirco privatus existit jure suo, qui taliter possessionem apprehenderit; nisi violentiam adhibeat. Prima pars sequitur ex dictis n. 52. eamque tradit Covarruvias, d. lib. III. *Var. Resol.* cap. xvi. n. 7. vers. *Quod si juris.* et Engel, h. t. n. 4. Talis enim ageret contra apertam juris communis dispositionem; sicque puniri meretur.

56. *Non tamen idcirco privatus existit jure suo.* — Alteram partem tenet Covarruvias loc. cit. asserens quod etsi canonicum habens titulum, et propria auctoritate vacuum beneficii possessionem apprehendens male fecerit, non requirendo superioris licentiam, canonico tamen titulo et justo possideat. Id ipsum tradit Rebuffus, in *Praxi Benefic.* tit. de *Missione in possessionem.* n. 3. post Joan. de Selva, tract. de *Beneficio.* part. II. cap. xv. et favet Abbas, in d. c. *Transmissam.* n. 3. de *Election.* contra Dinum cit. reg. 1. *Beneficium.* n. 16. de *Reg. jur.* in 6. et nonnullos alios, quos in contrarium citat Abbas, ibid. Ratio hujus partis conclusionis est, quia licet installatio, seu institutio corporalis in beneficio, de jure præmitti debeat, juxta dicta n. 52. nullibi tamen habetur, neque probatur, quod requiratur ad substantiam actus; ac proinde sufficit dicere, quod ea sit de solemnitate, non autem de substantia. Sicut in simili accidit in judiciis, utpote in quibus nonnulla requiruntur ad substantiam, quando videlicet istud reperitur in jure expressum: alia vero solummodo pertinent ad solemnitatem; uti notat Glossa in *Summa.* §. *Quod autem caus.* 2. q. 1.

57. *Collatio beneficii, per clericum acceptata, tribuit ei jus in re ante traditionem possessionis. Electus per confirmationem electionis ad prælaturam, acquirit plenam administrationem.* — Accedit, quod sola collatio canonica, per clericum acceptata, jam ante traditionem possessionis, ejusque apprehensionem, jus in beneficio ecclesiastico, seu jus in re tribuat, cap. ult. de *Concession. præbend.* in 6. juxta Glossa penult., §. *Collatio.* de *Præbend.* in 6. atque amplius dicitur infra n. 77. et seqq. Similiter, quod electus per confirmationem suæ electionis ad beneficium ecclesiasticum, seu prælaturam, acquirat plenam administrationem; probat textus notabilis in c. *Transmissam.* 15. § *Respondemus.* de *Election.* et tradit Glossa in c. *Nosti.* §. *Confirmata.* eod.

et Innocentius in d. c. *Transmissam.* n. 1. et Joan. Andreas, ibid. n. 6. atque Covarruvias, cit. cap. xvi. n. 6. asserens, quod fere communi omnium judicio receptum sit, ante apprehensionem corporalis possessionis, posse habentem justum titulum et canonicum, nemine possidente, propria auctoritate ministrare ipsi beneficio, et ejus curam habere; atque exercere Atqui hæc forent falsa, si administrans ante obtentam possessionem corporalem, sicque hanc ipso facto apprehendens, privatus existeret jure suo; ergo.

58. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod electus, si ante obtentam confirmationem administrare præsumperit, nuliter agat, c. *Nosti.* 9. et c. *Qualiter.* 17. de *Election.* imo etiam ipso facto privatus sit jure ex electione sibi quæsito. Resp. enim, prælata jura expressis verbis loqui de electo administrante ante, quamvis id fiat ante apprehensionem corporalis possessionis, seu investituræ, utpote de qua nec minima ibidem sit mentio: prout liquet ex textu allegatorum jurium, quæ proinde, argumento a sensu contrario, potius militent in oppositum, faventque nostræ conclusioni.

59. *Clericus violentia adhibita occupans beneficium, eo ipso amittit jus, si quod in illo sibi competeat.* — Tertiam tandem pars conclusionis, loquens de violentia adhibita, per quam clericus privaretur jure suo, est communis; atque habetur expresse decisa in c. *Eum qui.* 18. § *Insuper.* de *Præbend.* in 6. illis verbis: « Insuper ut violenti, qui auctoritate (seu verius temeritate) propria occupare dignitates, personatus, aut alia quæcunque ecclesiastica beneficia non verentur, et si non virtutis amore, pœnæ saltem formidine a suæ temeritatis audacia refrænentur, eo ipso jus, si quod in dignitatibus, personatibus, et beneficiis occupatis taliter, vel ad ea ipsis forsitan competeat amittant. » Hæc ibi. Et quidem rigor dictæ decretalis innititur rigoris juris civilis l. *Si quis in tantum.* c. *Unde vi.* et can. *Placuit.* 16. q. 6. Accedit textus in l. *Si ex stipulatione.* ff. de *Acquirend. possess.* ubi sine possessoris voluntate nactus possessionem restituta, vel emptæ, censetur prædo, atque ut talis possidet, non ut emptor.

60. *Rem ab alio possessam propria auctoritate apprehendens, censetur prædo, teneturque rem ablatam ante omnia restituere.* — Generaliter enim rem ab alio possessam, sive

juste possideat, sive injuste, nemo propria auctoritate, atque sine judicis decreto, apprehendere, et possidere potest: alioquin cenetur prædo; cit. l. *Si ex stipulatione*: et rem alteri ablatam tenetur restituere, l. *Nec ex vera*. c. de *Acquirend. possess.* Nam, quod spoliatus ante omnia sit restituendus, patet ex cap. ult. de *Ordine cognition.* cum concordantiis; estque ex professo dictum supra lib. II. tit. XIII. *De restitutione spoliatorum.* § 3. n. 48. et seqq. Et propter ista in præmissis conclusionibus notanter, ac repelitis vicibus, additum fuit ly, «Vacuam possessionem beneficii:» quæ amplius confirmatur ex dictis supra eod. lib. II. tit. XII. *De Causa possessionis*, etc. § 4, n. 115, et 118.

§ III.

DE INSTITUENDIS IN BENEFICIIS, JUREQUE EORUM PER INSTITUTIONEM ACQUISITO: UBI ET DE INSTITUTIONE, AC DISPENSATIONE SUI IPSIUS.

61. *In beneficiis ecclesiasticis laici non possunt institui, sed soli clerici.* — Quæritur I. Quinam sint instituendi in beneficiis. Resp. I. In beneficiis ecclesiasticis laici non possunt institui, sed soli clerici. Ita communis, et patet ex cap. II. h. t. ibi: «Cum laici non debeant in canonicorum numero computari.» Et hoc adeo verum est, ut seclusa speciali dispensatione apostolica non sufficiat, si quis eorum primum post factam institutionem in beneficio, vel etiam collationem ipsius, fiat clericus suscipiendo primam tonsuram, arg. c. *Ex litteris*. 6. de *Transactionib.* estque amplius dictum supra l. I. tit. VI. *De Electione.* § 9. n. 219.

62. *Clerici possunt institui in beneficiis certum ordinem sacrum requiruntibus, licet istum nondum habeant.* — Resp. II. Nihilominus clerici a patronis præsentati, possunt institui in beneficiis certum ordinem sacrum requiruntibus, licet istum nondum habeant: dummodo infra tempus a jure statutum possint ad requisitum sacrum ordinem promoveri, et alias sint idonei. Ita communis; estque decisum cap. II. h. t. in 6. illis verbis, «Si is ad quem rectoris præsentatio in aliqua parochiali Ecclesia noscitur pertinere, quempiam non constitutum in sacris præsentet ad eam, ipsum (dummodo alias sit idoneus, et infra tempus a jure statutum ad ordines, quos ipsius Ecclesie cura requirit, valeat promoveri) decernimus admittendum.» Hæc pontifex.

63. *Dummodo infra tempus a jure statutum possint ad ordinem requisitum promoveri.* — Additur notanter in conclusione, «Dummodo infra tempus a jure statutum possint ad requisitum sacrum ordinem promoveri.» Hoc enim expresse requiritur in præallegato textu, juncto c. *Licet*. canon. 14. de *Election.* in 6. ubi Ecclesiam parochialem recipiens, jobetur intra annum sacerdos fieri.

64. *Et alias sint idonei.* — Additur ulterius, «et alias sint idonei.» Nam, quod clerici ad beneficia admittendi, debeant esse idonei, præter jus naturale, pariter liquet ex relato textu, et pluribus aliis concordantiis. Atque ideo v. g. clericus minorista, præsentatus per patronum ad beneficium parochiale, tempore præsentationis debet esse viginti quinque annorum, saltem inchoatorum: ista quippe ætas requiritur in promovendis ad beneficia curata, c. *Cum in cunctis*. 7. *Inferiora*. de *Election.* et cit. c. *Licet*. canon. 14. eod. in 6. et notat Pirhing, h. t. n. 12. citans alios. Idem, servata proportione, dicendum de reliquis qualitatibus, quæ requiruntur ex parte eligendorum, atque preficiendorum, sive instituendorum in beneficiis ecclesiasticis; atque superius lib. I. tit. VI. *De Electione.* § 9. et tit. XIV. de *Ætate et qualitate*, etc. a n. 2. usque ad n. 22. ex professo declarantur. Et quæ ejusmodi qualitates, in instituendis requisitæ, plures sunt, in locis proxime citatis videndæ: hinc, ne clerici eisdem, vel saltem aliqua ipsarum carentes, minusque idonei instituantur; provide concilium Tridentinum, sess. 7. cap. XIII. de *Reform.* expressis verbis decrevit, neminem ad quævis beneficia ecclesiastica esse instituendum, confirmandum, vel quovis modo admittendum, nisi prævio ordinariorum examine idonei reperiantur ut jam dictum paulo superius n. 15. et seqq.

65. *Regulariter in beneficiis non debent institui clerici unius duntaxat originis, seu nationis; sed vivi litterati, et idonei, undecunque venientes.* — Resp. II. Regulariter loquendo, in Ecclesiis, beneficiisque ecclesiasticis, non debent institui clerici unius duntaxat originis, seu nationis, spernendo, seu excludendo cæteros: sed viri litterati, et alias idonei, undecunque originem trahant. Ita textus expressus in c. *Ad decorem*. 5. h. t. addita illa ratione: Quia, «qui facit justitiam, acceptus est Deo, nec sanctuarium Dei convenit jure hæreditario possidere.» Concordat can. *Nos*

qui præsumus. et can. *Non loca*. dist. 49. et can. *Dominus*. dist. 36.

66. *Dummodo excipiantur beneficia patrimonialia.* — Additur tamen in conclusione, «regulariter loquendo,» propter beneficia patrimonialia. Hæc enim ex primæva sua fundatione, per Ecclesiam acceptata, et approbata, debentur certæ nationi, vel familiæ, dummodo ex ea adsint idonei, qui possint, ac velint promoveri ad hujusmodi beneficia vacantia: ut jam dictum supra tit. V. de *Præbend.* § 2. num. 40. (ADNOTATIO IV.)

Quæritur II. Quot sint instituendi in collegiis clericorum, aut in monasteriis regularium recipiendi? Resp. I. Numerus clericorum in Ecclesiis collegiatis, et monachorum seu monialium in monasteriis, debet constitui secundum facultates ipsarum Ecclesiarum, vel monasteriorum: adeo, ut tot instituantur, seu recipiantur, quot ex redditibus talis Ecclesie, vel monasterii, seu elemosynis consuetis commode sustentari possunt; plures autem non admittantur. Ita communis; textu claro concil. Trid., sess. 25. de *Regul.* c. III. ibi: «In monasteriis tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, in tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis elemosynis commode possit sustentari.» Concordat c. I. h. t.

67. *Quot sint instituendi in collegiis clericorum, aut in monasteriis regularium recipiendi? Numerus eorum debet constitui secundum facultates Ecclesiarum, vel monasteriorum, nec plures admitti.* — Porro numerum monialium jurisdictioni episcopi immediate subjectarum determinare, pertinet ad solum episcopum; monialium vero exemplarum numerum taxare, cumulative spectat ad episcopum et superiores regulares, et constit. Gregorii XIII. quæ incipit: *Deo sacris virginibus*, quæ habetur in *Bullario* Cherubini 38. inter constitutiones dicti pontificis; quam etiam refert Quaranta y. *Monasteria monialium*, et Bruno Neusser in *Polyanthea*, disp. 173. q. 49. ubi pro hæc doctrina citat communem. Idem, teste Lezana, y. *Moniales*. n. 5. censuit sacra congregatio sequentibus verbis: «Præfixio fiat ab ordinario duntaxat in monasteriis sibi subjectis; in cæteris vero, quæ regularibus subdita sunt, fiat eadem præfixio ab ordinario cum interventu tamen superioris regula-

ris.» Videri etiam potest Antonell. de *Regim. eccl.* lib. VII. c. II. n. 2. Barbosa, *Jur. Eccles. univ.* l. I. c. XXIV. n. 23.

68. *Simulque tot recipi, quot ex consuetis redditibus sustentari valent.* — Atque hæc verba, licet negative sint concepta, includunt nihilominus etiam præceptum affirmativum: nempe, ut tot recipiantur, quot ex consuetis redditibus absque penuria sustentari possunt. Abbas cit. cap. I. n. 2. h. t. inde desumens bonam præctitam contra prælatos, qui avaritiæ causa nolant instituire multos monachos: possunt enim tales compelli ab eorum superioribus, ut tot instituant, quot ex redditibus Ecclesie sine penuria sustentari valeant. Fagnanus, c. *Non amplius*. n. 5. h. t.; Pirhing, eod. n. 15.

69. *Intelligendo istud etiam de Ecclesia numerata.* — Atque istud procedit etiam in Ecclesia numerata, sive in qua certus numerus canonicorum aut regularium, per statutum, etiam a Sede apostolica confirmatum, determinatus est. Nam si redditus talis Ecclesie notabiliter augeantur, hoc est in tantum crescant, ut præter fabricam Ecclesie conservandam, aliaque onera præstanda, pluribus canonicis, vel religiosis competenter sustentantis sufficiant: tunc numerus præbendarum, ipsorumque canonicorum augeri debet, non obstante confirmatione Apostolica de minori numero facta, juxta textum notabilem in c. *Cum M. 9. de Constitut.* et c. ult. de *Verb. signif.* Siquidem in confirmatione apostolica, vel exprimitur vel saltem tacite subintelligi debet conditio, seu clausula illa: «Nisi redditus excrescant:» prout observat Pontifex in cit. c. *Cum M.* § *Mandamus*: juncta Glossa, v. *Possent sufficere*. et doctoribus ibid.; Fagnanus, c. *Non amplius*. n. 34. h. t. allegans communem.

70. *Si redditus Ecclesie notabiliter decrescant, potest numerus canonicorum, etiam taxatus, diminui.* — Et vice versa, ab argumento a sensu contrario desumpto, si redditibus Ecclesie notabiliter decrescant, adeo ut non sufficiant taxato numero canonicorum, vel regularium honeste sustentandi, potest numerus ille diminui non obstante confirmatione apostolica, arg. c. *Cum accessissent*. 8. de *Constitut.* ac notat Abbas, ibid. n. 3. vers. *An autem possint diminui*; Pirhing, h. t. n. 15. Not. 3. Concordat concilium Tridentinum, sess. 24. cap. xv. de *Reform.* concedens, ut in Ecclesiis cathedralibus, et collegiatis insignibus, non nisi tenes, et